THOMAS LINDNER

C a r m i n a

Editio maior
ab auctore curata

Vol. IV. ($C^M_4 = C^3$)

Salisburgi MMXXVI
Officina Tiliana

In Kommission bei
EDITION TANDEM, Salzburg | Wien
www.edition-tandem.at
Druck: druck.at

ISBN 978-3-903516-52-6

© Thomas Lindner, *P.L.*
2026

Collis erat, quem conscendi, viridantibus uber
Graminibus, venti me palpavere tepentes.
Ac simul insedi scamno, quod vertice summo
Apposita mensa spatiantibus otia praebet,
Flatibus aëriis frumenti flava fluebat
Copia. Pone fuit late mea terga deumbrans
Fagus amoenicolor foliisque salubribus ampla.
Ecce, subit virgas et vimina turbidus aër.
«Ventule, ne scriptas asporta, stulte, papyros!»
Inquam, vix potui manibus reprehendere chartas.
Decidit ut lentus modico curvamine clivus,
Sub tumuli radicibus est cannaque palustri
Cincta palus stipulisque vagis et harundine molli.
Alituum decus hac servatur versicolorum
Tunc avibus solis pulchra regione tributa.
Inde lacuna subest limoso plena liquore:
Artubus hic limus sanandis aptus habetur.
Saepe solent homines ibi nare diebus apricis;
Sole fruuntur aquisque nigris. Pars altera circum
Ambulat incumbens collatis postmodo sellis.
Immemor ultima pars nandi studiosaque fusci
Corporis usque iacet bacchans in caespite culto
Affectatque cutem comburi nardificatam.
De tumulo vergit pulcher conspectus in agros.
Gramina faeniseces succidunt falcibus uncis
Quadriiugisque ferunt ingentia faena covinnis.
«Sedula gens!» mecum dixi vultumque levavi
Rudera miratus lapidum spatiosaque saxa
Fissa velut valido pugno vel fulmine forti;
Quod Mare Saxosum longaeva vocaverat aetas.
Sic nonnulla fenestra domus, quae rupis acutae
Hanc iuxta speculam – priscum cui Noctua nomen –
Parva quidem magnis scopulis audacter adhaeret,
Fulsit ut ignipotens adamas flammansve metallum.
Tramite serpenti petiere cacumina summa

Innumeri sudore suo febrique gementes,
Cum me frondicomans umbra circumdaret arbor:
Me quotiens collis memorem meminisse iuvabit! ⊗

Fons scatet, exigua de rima deflua lympha
Labitur et lapides vocali murmure pulsat.
Continuusque latex liquido splendore coruscans
Crescit, et alveolo cohibetur stilla pusillo.
Et citius refugit montes, ubi natus, apricos
Rivus et acceptis torrentibus amplificatur.
Interea silvae breviter iam flumine facto,
Quae viridi densis dumis fragrabat odore,
Appropiant undae; rapido sorbentur hiatu.
Lenis aquae flumen tacito cum murmure manat
Limpida per silices iactantes fulgura sursum.
Quam fuit ille locus pullo velamine tectus,
Fronde locupletes foliisque recentibus aucti
Quod rami dederant umbrosi lucifugique.
Quam fuit haec regio iucunda fusa quiete:
Qualia silva sopora silentia donat amoena,
Qualis in hac habitat pax candida valle tacenti!
Acrius intendas aures: cantare canoro
Agmina parva vigil cantu viden alisequorum
Et placido paulum vento fruticeta moveri?
Ripa videtur et herba videtur et ulva cubare:
Sic quoque cuncta silent, taciturne profluit amnis.
Parva mora est: primi radii iam vimina lustrant,
Confestimque plagas ridens sol vertit opacas.
Et simul incipiunt tremulae titubare fluentis
Ocius et magni crispantur fluminis undae.
Tamquamsi subito tempestas dira propinquet
Fulminis occultans oculis, non auribus, ictum;
Qui fremor ambiguus paulatim crescit et inde
Horrisono strepitu bombos simulare sonoros
Suevit et attonitis angorem ferre molestum:
Sic ex longinquo primum clangore furente
Vertice perceleri guttae properare videntur,
Vertice perceleri passim rapiuntur in arta
Saxa, furor quorum (iam vox me deficit aegra)

Dicitur et divis audiri sede superna.
Inde via est praeceps super aëra; rudera rumpit
Alveoloque carens rapidus fluvius volitando
Decidit, instabiles latices neque semita ducit,
Instabilesque cadunt super aëra praecipitanter,
Instabiles latices titubant properi – impulsu
Tangit humum flumen bruto simul obtusoque.
Impete iactantur vehementi turbinis instar
Fluctus spumosi vibrantque tonantque coacti.
Alveus ut reddatur aquis, condantur et undae,
Cura fit Amnigenae: quaerendo cuncta reformat.
Sic amnis sensim placatur et exhilaratur.
Perfluit arva dehinc navis celebrata colonis,
Florigeros campos lateque patentia prata
Visit et ignotas urbes hominesque salutat. ⊗

Tempore brumali terris gelida nive pressis,
Cum vico matris natali more morarer,
Mane sedens tectis aviae fumante camino
Quam fervore diu misso fornace fruebar!
Quam mihi dulce foco lassari saepe crepante!
E plena tandem matercula nava culina
Dulcia poma sui perquam studiosa nepotis
Deliciasque bonas, quae denique restituerunt
Corpora fessa, tulit pretiosa condita lance.
Hinc esis epulis potu fruiturus odoro
Auribus intentis narrantis ab ore pependi:
«Dum pueri fuimus tenues, ego, Francius ille,
Aequanima celerique manu collegimus ambo
(Hic tunc ludus erat nobis) pictasve columbas
Aut alias volucres varias et versicolores,
Alituum decus ut magna veniret in urbe.
Mense dies fuit apta – libens reminiscor – Aprili;
Nulla petituris nobis mora: voce modesta
Ivimus ad patrem, sella qui sedit eburna
Publica pellustrans, semper quae legerat, acta.
Ut pater audivit, metuenti reddidit ore:
‹Unica vos estis taetris intacta periclis
Spes mea. Nunc igitur dictis parete paternis!
Concedam vobis tam dudum fota cupita,
Alituum decus ut pictarum veneat urbe,
Legibus his: hora tantum revenite diurna,
Ne videam vos immemores et nocte vagantes!
Neu sermoniferi pellectent vos peregrini,
Blandificis donis qui temptent usque tenellos!
Sin amiseritis regionem, quaerite promptim
Urbis praetorem: plateam monstrabit eundam.
Tum cum vendideritis aves, et vespera subsit,
Ite domum recta: penitus mea verba tenete!›
Dixerat, et madidis felices basia malis
Figimus ‹Alme pater› respondens quisque ‹valeto!›

Ille dehinc nos dimittit lacrimasque reterget.
Ferrivia vehimur cavea tuitante palumbes
Fulgidulos (nunc crede mihi), quos ferriviantes,
Qui digitum dederant, affecti vulnere parvo
Admirabantur tamen ac mulcere volebant.
Urbem perveniebamus. Quae turba meantum
Quique tumultus adest! Quo sunt loca plena crepore!
Nec mora, largificis stipibus nec laude minore
Sunt breviter volucres a praetereuntibus emptae;
Tempus abit, memoresque domum proficiscimur inde.
Urbis erat nobis haec experientia prima.»
Desierat matercula; nunc thea frigida facta est:
Tam sollers auditor enim iam carmen adumbro. ⊗

Cum tenebras alguque fugasset lumen Eoum,
Dulciter irrorans caelos Aurora rubore
Hausit agros placidis radiis super aethera netis.
Nec mora, fulgenti successim templa superna
Lumine concelebrat nocturnas solvere nubes,
Tergere sol gelidum parat almus denique rorem;
Ac pura fundens tellurem luce cubantem
Excitat usque gravem somno penetratque volatu
Vitali felix auras et agrestia rura.
Lene beant zephyri campos, ventique tenelli
Hos comitantur et arva suo cum flamine molli
Inficiunt tepidique calore mapalia mulcent.
Ah! celebrate diem, Nymphae, celebrate canoro
Lumina clara poli, mea rustica numina, cantu!
Rus cantetis, ubi valido bove sedulus agris
Infindit sulcos et mitia poma colonus
Educat ac paula contentus fungitur olla.
Rus, ubi pascit oves et pastor harundine levi
Dulces adducit cantus et pectore fortem
Ardorem nutrit, formosae Phyllidis ignem.
Et cantate nemus, densis ubi conditus ulmis
Rivus in alveolo parvo plenoque lapillis
Labitur: hic undae muto cum murmure manant.
Saepe subit Corydon ardenti pectore silvam
Phyllida visurus, suavi fruiturus amore;
Quot perceperunt carae promissa puellae,
Pignora summisso pueri virgulta susurro!
Qualia singultant iuncti bona basia dantes!
At nemus amborum numquam secreta recludet. –
Quale capit desiderium mea corda morandi!
Campus agerque mihi cari dilectaque prata:
Vos iterum rursumque beato corde saluto.
Sic, mea Musa, mera mera pascua laude loquaris! ⊗

Diffugiunt tenebrae pulsatae lumine claro,
Paulatimque polum subeunt dilucula canum
(Tunc invisibili noctem deprivat amictu
Mirificis urgens alboribus alta potestas).
Perspicue iamiam surgit telluris ab imae
Margine postremo digitis aurora rubellis
Fornicibus caeli subtexens licia rara.
Interea currente die vi candidus aucta
Sol oritur potiore sororem lampade sectans,
Maiestas et rex caeli venerandus aprici:
Indicat assiduam vitam iubar atque iuventam.
Lene solum palpantur amoenis flatibus aurae
Ac varios flores ac mollia gramina campi
Poplite melligero pictis apis instrepit alis,
Nectare pasta bono celeri volat inde susurro.
Sensibili vix ascensu volventibus horis
Gemma poli pollet summoque cacumine sistit,
Perpetuis radiis vehemens loca subdita torret
Et validis terram fervoribus urit inermem.
Nullus inest exinde vigor depulsus inique:
Arva, quibus sua vita fuit muscis apibusque,
Nunc exhausta iacent raptoque liquore gemiscunt,
Arboribusque color viridis decedit ob aestum.
Nec lacibus sua gutta manet: siccantur, et umor
Schemata densescens describit in aëre parva,
Quae reputas vidisse redarguerisque videndo.
Sic natura fatigata est et torpida languet,
Languet, luget et inde siti vexata periret,
Ni deus altitonans miseram miseratus adesset.
Cum graviter terram cernit segetesque sitire,
«Venti, confestim pullos conquirite nimbos,
Nubila» dixit «adeste simul: nunc ferte dolenti
Imbris opem Cereri! Phoebo praecludite portas,
Exhaustumque solum madeat viresque resumat!»
Nec mora, terrisono veniunt rumore procellae

Partibus inflantes diversis pellere nubes;
Appulsis faciunt molem: via lucis adempta est.
Fulgura continuo nitida nitidissima luce
Flammivomoque furore micant ac perpete bombo.
Et facies terrae nunc solvitur exoptata
Proluvie, breviterque deus fera fulmina vibrat.
En! subito nimbi tenuantur et imber alendo
Lenis in arva prius flaccentia decidit: eia,
Phoebe, nites et tu rutilus rursumque sagittas
Aureolas leviore quidem nunc impete mittis,
Aureolas, graciles quae guttas imbris aquosi
Findunt findunturque vagoque colore retexunt.
Viribus assumptis iterum bona surgit arista,
Et bibulus suspirat ager madidusque revivit:
Sic nova purgata natura renascitur aethra! ⊗

Umbra fuit, qua calcavi pede devia fesso
Perdita iucundae percontans dona quietis.
Qualis erat nubes et inexsuperabilis horror,
Quales anxiferae torturae mentis inermis.
Cor mihi subtrepidat divulso pectore quassum,
Aegraque sulfurea mens est infecta mefite,
Quam lacerata cavo tellus exhalat hiatu.
«Cedite,» clamabam «circumvolitantia» saepe
Territus ore macro «flaccenti cedite monstra!»
Viribus extremis attempto flectere gressum
Inceptum fugiens fatale; sed ultimus angor
Quodque dolorifice produxerat omen imago
Denique sopierint mentem vultumque tenebris. –

Languidus exiguo post tempore tempora bruta
Sentio, consurgens titubo male sobrius ipse
Palpebris laxis et mente gravedine fusa.
Supremo nixu mihi lumina tollere demum
Contigit, et nebulosa queo loca cernere vultum
Nube recedenti velatus. At horrida nubes
Me patiente (pati mihi mens fuit) inde retexta est. –

Sed quali, felix iterum, mirabile fictu,
Numine, nescioqua clementi sorte solutus?
Quae via quive furor, quod inevitabile fatum,
Nescio, num fuerit saevus sopor anne facultas
Viva requirendi veri stragisve futurae. ⊗

Cara mihi, Philyraea, mera circumdata lympha,
Insula parva quidem, sed es urbs latissima laude.
Quam tuus aspectus cunctos incantat amoenus!
Te bellam semper sincero corde saluto!

Quaeque domus decorabatur splendore decenti,
Fixaque sunt prisco ritu pollentia signa.
Conspicua multi nonnullas naviter arte
Artifices aedis restauravere novandas.

Quam iuvat inde tuos hortos transire patentes
Floribus ornatos crebris et caespite culto,
Non fit imaginibus satur unde refertus ocellus.
Verte gradum portumque subi, spectator, et asta!

Quam sublimiter illa leonis protegit urbem
Attentis oculis, populo sedamen, imago;
Conspicit ut tutela novos appellere lembos.
Sic in perpetuum maneat tibi tanta venustas! ⊗

Aeterna, Rossini potens, ornabere laude:
Sic in perpetuum Tonsor ludetur amoenus.
Et celeri lentoque gradu tua musica currit
Ambobus variata modis et plena leporis.

Usque tuam decorat frontem, Bellini, corona:
Nam cantabuntur semper Normae cabalectae.
Seria, macte, mele posuisti numine celso
Difficili numero multisque coloribus aucta.

Care mihi Donizetti, tuae resonantur in aevum
Hinc operae: Pasquale, Rohan et Amoris Elixir,
Lucia praecipue delectat cantibus aures.
Tu fama, polyhymne, bona laetare perenni.

Artifices alii, semper qui composuistis
Mirifice tantas operas tantasque sonore,
Cantica mutescent numquam nec nomina vestra:
Mercadante, Pacini, Paër, Carafa Maÿrque.

Ex his eminet ille, vocatur rex operarum:
Verdis nobile nomen in orbe perenne manebit!
Notitia facta, cum conscripsisset Obertum,
Primus honor venit, postquam Nabucco dabatur.

Posthac amplus erat vir compositorque probatus
Pluraque componit componendoque novella –
Attila, Latrones, Lombardi, Foscari, Macbeth –
Munera multiplicat. Toto fiebat in orbe

Traviata Trovatore suo Rigolettoque notus.
Culmina venerunt ambo: Falstaff et Otello.
Gloria dilatatur; ubi devenerat aetas,
Magnanimus necnon tanto fuit omine dives,

Segnibus ut proprias aedes curaret et aegris.
Es summam nanctus famam semperque libenter,
Inclute cantator, cantatrix clara, canetis
Has operas celeri scriptas numeroque canoro! ⊗

Iam pater haustus erat longi post facta diei,
Oscitat, inde parat dormitum vadere veste
Mutata noctis tunica; rursum sua pandit
Membra iacetque simul, somno se dedit amico.

Ille beatus homo: membris passisque lacertis
Lecto, nulla mora est, celerique sopore gravatus
Post nullum vero spatium requiescere felix
Assolet haud aliter quam securissimus infans.

Quemlibet, infelix, iuxta dormire necesse!
Tempore nempe brevi noctis velamine tectus
Stertere perpetuat pater haud secus, insecet ac si
Serra recidenti perfringens robora motu.

Quamquam carus homo est, rabie vix abstineas: nam
Volveris in thalamo somnoque subinde fugato
Hac nunc, nunc illa versaris parte furenter,
Cum sopor attiguum molli circumdet amictu. ⊗

Sic natura creavit, uti te visere possum:
Nil mendacis habet facies medicaminis oris,
Fuco bucca vacat, falso palpebra colore,
Ac naturali laetantur labra rubore.

Carmine perdulci speciosam cantat alauda,
Noctivagae stellae formam mirantur eburnam.
Corpus femineum, species aequabilis, ah! quam
Auriflui vultus, oculi quoque miricolores!

Bella puella, places non ac secus iris amoena,
Quae caelo surgens mentes et corda serenat.
Quo magis expediat: mihi tu regina rosarum,
Quae neque defloret prato neque deficit umquam.

Te veneror, molli – forsan si fingere fas est –
Amplexu tangam, quam sim tibi fidus amicus!
En! optata venis: thalamo succumbe parato,
In gremioque tuo mulcebitur almus amator. ⊗

Splendida marmoreo collucens murice lympha
Emicat immensoque per aëra decidit arcu;
Usque merum laticem pellustrat lumine loto
Gemma poli, radiique repercutiuntur aprici.

Illa figura lacu lato stat saepta lacunae,
Quam subit aura repens; aequor crispatur, et unda
Stringitur exilis: fit, uti stips fulgura sursum
Strata super teretes silices sescenta coruscet.

Hic caelumque plagasque per ubera litora mirans
Pisce levi laetor liquidis inhiante lapillis,
Alborumque simul delectat lusus olorum:
Vix bella saturatur imagine pupula capta.

Interea molli regio circumdata velo
Vertitur, et noctis caligo densa morantem
Imbuit egelida me spargine: linquere cogor
Haec loca cara mihi. Quam tempora dulciter egi! ⊗

Caerulei splendoris adest decus, eia, canamus
Laetitia feti carmen, celebremus adulti
Munera – gaudentes reditu – speciosa diei:
En nobis iterum vitalis redditur ardor!

Quisque miser tepida iamdudum luce carebat,
Quisque diu solem desiderat: horricomis nox,
Frigus edax homines et hiems torquebat iniqua.
Denique, Phoebe, redis et pascis lumine corda.

Nunc bona cum variis ornantur floribus arva
Elicitis terrae radio stimulante tenello.
Lene beant campos zephyri, ventique canoro
Concomitantur eos mulcentes gramina flatu.

Gemma poli, nobis radios admitte serenos,
Unde nova membris vita repleamur egenis.
Caerulei splendoris adest decus, eia, canamus
Laetitia carmen veris, celebremus amantes! ⊗

In silvas fugiam dumosis frondibus amplas,
Nympharum videam secreta virecta domosque,
Quae tremulis implent nemorales cantibus umbras
Seliciuntque suo mortalia corda lepore.

In campos exim fugiam, qui frugiferentes
Planities flavas redhibent lateque patentes.
Hic tepido flatu commota vacillat avena,
Hic melius solis supremi cernitur aura.

Rus, ubi mugitu perpellunt arva iuvenci,
Rus fugiam, bubus validis ubi sedulus agro
Infindit sulcos et mitia poma colonus
Educat ac paulis contentus fungitur ollis.

Hic modicis pascuntur oves in collibus herba,
Mellifluum iuncta dum fundis harundine carmen
Spemque tuae felix nutris, puer alme, puellae.
Hic maneam vates inglorius, hic requiescam. ⊗

Tempus adest tenebris torvis et lumine lasso
Indutum mundusque vago velatur amictu.
Fessa dehinc fesso succumbit terra sopori,
Nunc regio circum placide dormire videtur.

Iamque vide: brumalis hiems et frigora furva
Adveniunt comitante gelu nimbisque nivosis
Occultare levi lucos nive, lambere lunam
Limpidulaque lacus glacie glaciare latentes.

Urbs quoque cum domibus dulci tacet abdita somno:
Pulvere perpetuo magis et magis algidus aether
Aedes ac casulas, statuas hortosque dealbat,
Ut niteant ampli pallenti lumine vici.

Denique sic nobis contingunt otia grata
Aegrius afflictis tremula trepidaque diaeta.
Nam tranquilla iuvat requies placatque labore
Exhaustos: suavi tandem fundemur amomo. ⊗

Dives adest autumnus: erit sine lumine terra,
Solis et obliqui vis hebet imbre gravi.
Heu! tenebrae venient – at temporis ante fruamur
Divitiis: cornu Copia reddit opes!

Autumnale decus: fagi mutare colorem
Coguntur viridem, silvaque fulva nitet,
Arboribusque bonos fructus, sua poma, dat annus,
Uvaque colligitur, puraque vina fluunt.

Mane leves nebulae tristes perserpere campos
Consuerunt: cedit sole tepente vigor.
Si calor, iste brevis; iamiam fallacia caeli
Nubila producit, canaque gutta cadit.

Frigora paulatim subeunt nova: dente rapaci
Unguibus et miseris alba propinquat hiems.
Sic iterum casa nostra placet: dum ligna camino
Perstrepitant, mentes mitigat alma quies. ⊗

Desine, cura, mihi tractim problemata ferre
Segnipedique morae cede, maligna, simul!
Cuius et indigeo iamdudum sollicitatus,
Haec animi motus mitiget inde quies!

Heu! nimio studio – non creditis – ulcera traxi:
Successus affert ulcera cura gravis.
Et fateor, non haec petitur tortura magistris;
Certe non! mea mens aspera poscit eam.

Quid faciam nisi continuos tolerare dolores,
Qui mihi contigerant, et quibus excrucior.
Saepius hos tuleram! Quare nota fervida ventri
Inculcabatur, quae dolet usque dolens.

Quis sanare potest? Tantum tu, Musa, iubens me
Subduci pensis desidiaeque dari.
Tu mihi succurres animoque medeberis aegro,
Cui tu semper ades praecipueque fave! ⊗

Cara mihi, Pax alma, veni teneasque coronam,
Qua tuus indulgens induitur Genius:
Mane, mane, iuture Geni, parsure popellis,
Quos rigidae terrent proelia militiae.

Ah! crudelia bella feris armata tenebris
Vitam tecturis tristitia tacita,
Tuque, mali semen, Discordia, cedite tandem –
Lumine fulgenti praedita Pax, venias!

Tunc timidi luctus, dolor, anxius angor abibunt,
Nubila disicient agmina luce mera,
Agmina clara, chori celebrantes, turba superna:
Laetitiam nobis denique restituas,

Pax, face salvifera collustres arva repleta
Sanguine (sic bellum polluit innocuos).
Tunc hominum dociles animi sedantur amore:
Vivere nos doceas, vivere lege tua! ⊗

Ei mihi, palpatur iam non me ventus amoenus,
Nec me divino carmine nutrit Amor.
Vivere cogor adhuc longo sic tempore trito
Pauper et ab sacra flaccidus arte procul.

Non, ut erat, menti mea numina cara propinquant,
Despicit ingenium perfida Musa meum.
Sic sedeo cerebrum percunctans undique; nulla
Indolis antiquae cernere signa queo.

Et lacrimae lacrimantur egeno lumine lapsae,
Deteriorantur fluminibusque genae.
Volvitur hinc illuc huc illinc perpete gyro
Mens mea nec firmo sistit inepta loco.

Quid vacuum vexare placet tibi, Musa, poëtam,
Quem poscis versus, quos dare saepe nequit?
Aut fer opem – quin ipsa venis, quin ipsa mederis? –
Aut hebetem posthac linque quiemque para! ⊗

Cara magistra mihi, quae Romanum docuisti
Sermonem: felix, discere quod licuit!
Aëra complebo laetanter carmine puro,
Plenus et inde tuis laudibus orbis erit.
Sic dignas refero grates, cui dicere fas est
Nos fore Romanos, Austria quos genuit. ⊗

Heu! doleo, mea Musa, molestor ab indole priva;
Quid me continuis tortibus excruciat?
Quam mea vita fuit gratissima, crede, mihi dum
Prisca valetudo floruit usque ferax,
Vel quaecumque fuit, melior tamen et stabilita,
Haud similis poenae, pessima quae subiit.
Me miserum! Quare mihi tam gravis angor anhelat,
Cuius adhuc a me cognita causa parum est?
Torqueor hinc illinc immensis planctibus actus:
Nescio, quo tracter. Quae mea finis erit? ⊗

Ecce! per hunc iterum cito flumina pura canalem
Assidue currunt efficiuntque lacum.
Invitatus ades remaneque, viator, ad undas:
Delecteris aquae divite fonte merae! ⊗

Quis te surripuit, quis te stupravit adulter,
Culta mihi cum sis instar, Elevi, deae?
Te periisse tamen non nescio; sin aliquando
Altera succurrat, rufa puella, nihil
Cuncter et exspectem, sed, crede, potentius actem!
Illa mei thalami certa sodalis erit. ⊗

Aspera limpidula mea mens sanabitur aura
Hic requiete fruens officiisque carens.
Segnipedique morae cedet labor improbus inde,
Ut possint vires crescere luce nova. ⊗

Fessula perspicua mea mens sanabitur aethra
Hic requiete fruens muneribusque carens.
Ut possint vires recreari membraque lassa,
Segnipedi cedet vita molesta morae. ⊗

Hic caelo suberit puro mihi limpidus aër,
Hic requiete fruar nec mihi munus erit.
Aethere perspicuo mea mens sanabitur hausta,
Segnipedi cedet cura molesta morae. ⊗

Gratia, dive, tibi, quod copia facta poëtae
Carmina voce mihi concinuisse mera.
Praesertimque tibi grates sint, Musa, perennes,
Cuius amor vatem nutrit: et ipse valet
Praecipua chordas – vires donante Camena
Pectora flammantes – arte sonare lyrae
Pollice pellenti. Cithara cantante libenter
Carmina caelesti numine composui. ⊗

Incipe concentu: dudum, mea Musa, tacebas
Perpetuo tortus impete trusa trucis.
Ast ubi nunc degis? Rursus viget ille poëta:
Namque valet scriptis munera ferre tibi.
Dixerunt alii semper valuisse misellum,
Qui miser in lecto iugiter accubuit.
Arbitror hoc falsum – fervor novus intrat in artus
Tantum, si temptas sponte valere tua. ⊗

Quam vultus subiit pulcher et haud unguine sordido
Tinctus! Quantus adest corporis ac dentis amoenitas!
Nam tu visa mihi dulciter es par dea Naïdum,
Luxu plena mero, dote bona, candida bracchiis.
Crines aetherii, quam femur et pectora complacent:
Sic ardore nimis saevus amor me rapuit gravi.
Quamquam, Xanthocome, comis es et formipotens, tamen
Te praestas nimium verbilevem nec minus insciam. ⊗

Dulciter bacchans et amore fervens
In vaporato iaceo cubili
Ore palpanti tenerisque labris
Captus amicae.

Scilicet nudi sumus, et movere
Iam iocos lasciva solet vicissim
Lingua, iam non displicet altiores
Quaerere campos.

Quam mihi sublimis amor videtur!
Cara, persistas, Venus, in perenne,
Neve languentes patiatur ambo
Filius umquam! ⊗

Flumen in silvam fluit et procacis
Indiget splendoris: erunt superbi
Solis exclusi radii, subibit
Umbra modesta.

Illa, quam fingit mea mens alacris,
Silva completa est requie: nec aura
Arbores turbare videtur alsas
Flamine leni.

Hic velim sidam platano sub ampla
Ac loci dulcedine mitigabor
Murmur auscultans leve profluentis
Auribus undae. ⊗

O puellarum celebris puella,
Mi places, pupilla, pusilla pupa!
Exhibes tantam venerem venustis
Digna deabus.

Et, sacrum desiderium, tenes me:
Nam mera dulcedine suscitatus
Quam sinu molli cupio, tenella,
Posse renasci!

Osculis blandis, labiis vicissim
Suavibus nugemur et helluemur!
Tun, Amor, promittis? Ades! Venique,
Musa, poëtae! ⊗

Uror et vesanus amore puro,
Cara, quam suspiria persevero,
Feminis dignissima pulchriorque –
Crede videnti!

Omnibus praestas facie tenella,
Ac vagos crines oculosque glaucos
Ac sinus dulces gremiumque molle
Miror abunde.

Nunc tuam palpare cutem libido
Quanta praeberet loca gaudiorum;
Mi tuas leni liceat papillas
Linguere lingua:

Hoc suo concedat Amor ministro!
Bella, te curare decet decetque
Te frui memet: populi loquacis
Fama negetur! ⊗

Barbito contende, superba, mecum
Et fides impelle manu perita:
Tum libens devincar et orbus ore,
Musa, tacebo.

Ah! sono, divina, tuo stupendo
Inde quam vesanus, inebriatus
Nutriar flaccens et ero sodalis
Plectripotentum.

Sospes, ascendisse locos amoenos
Cui licet, quos tu stimulabis, Orpheu:
Particeps artis lyricae sacerdos
Iure creabor. ⊗

Ut rubens Aurora polo coorta
Luce dispellit rosea tenebras
Ac iubar suffundit et alma rura
Divite risu

Excitat camposque serenat udos,
Non mora est, et sol placido nitore
Orbita semperque pari liquentem
Aethera lustrat.

Leniter terras zephyri vagantur,
Et susurranti levis aura flatu
Bracchium, crinem pueri venusti
Cordaque palpat.

Nunc boves pastor super arva ducit;
Donec hae pascuntur, ovans avena
Dispari tibicen amoena prata
Dulce sub ulmo

Tinnulo stridore iocoque complet.
Quam favor felix et amor puellae
Phyllidis carae lepidaeque Thyrsin
Cepit et urit!

Quale mi desiderium virenti
Colle, silvestri regione niso
Canticum sollerter et eleganter
Concinuisse! ⊗

Ut vigil Eos in polo coorta
Luce purpurea fugat tenebras
Atque caelum fundit et alma rura
Divite risu

Excitat et campos serenat udos,
Non mora est, placido nitore Phoebus
Orbita semperque pari liquentem
Aethera lustrat.

Et zephyri lenes vagantur orbem
Atque murmure vocali volantes
Bracchium, crinem pueri venusti
Cordaque palpant.

Nunc pecudes pastor per arva ducit;
Donec assiduae pascuntur, ille
Dispari tibicen ovans avena
Dulce sub umbra

Pascua tinnulo canore complet.
Quantus ardor, amor quantus puellae
Phyllidis carae lepidaeque Thyrsin
Cepit et urit!

Quale mihi cupitum – colle molli
Laeter hospes et herba fluctuanti –
Otiose carmina bella ruri
Concinuisse! ⊗

Musicae voces celebres feruntur,
Et mele stringunt sonitu sonoro
Organi mentes hilaris catervae
Monte Casino.

Quale me desiderium tepentem
Corripit, qualis furor urit illic
Pectus infirmum, teneraeque flammae
Corpore toto

Defluunt, passimque cutis refulget:
Pyrrha, qua tu deliciae figura!
Crinibus flavis, lepida statura
Te simulatque

Dulciter ridere mihi calenti,
Candido visu dare dona vultus
Turbidus vidi, vehementer ante
Corda quieta

Heu! cremavisti nive conglobata.
Usque sic vexor grave: cara, quando
Te queo spectare, puella, rursum?
Conqueritur mens.

At lyra solaciolum pusillum
Flebili versus cecinisse restat.
Inde subtilem, mea Pyrrha, formam
Carmen adumbrat. ⊗

Pyrrha, te fervens pereo puellam:
Nunc mero dulcique premor dolore,
Nunc cremor, nunc iam furor undat artus
Fulguris instar.

Sic novis pruriginibus cupido
Tangit insuetum; video, quod ante:
Versibus parvis modo me tenellam
Concinuisse. ⊗

Quid mihi fiebat? Obire tandem,
Musa, da nobis, quoniam dolere
Iam sat est – constans animae caduco
Pondere laesae

Longius durat dolor ac redundat!
Qui salutares revocentur artes,
Spiritus gratum medicamen acti
Solvere luctus?

Fluctibus iamiamque teri superbis,
Qui nihil possunt ratione pura
Dirigi ducente via nec addi
Mentis habenae,

Sensibus fissis ut alatur error,
Nubilo veloque tegi vacillans
Impetu nec mox redigi sereno
(Vatibus ardor)

Nec mero maerore satis refundi,
Flens ut oblectetur aqua lavanti –
Tunc hebescendo piger interire,
Vividus unae.

Sic ades sanans, mea Musa, manco
Nec mihi, fautrix, negita favorem:
Lumini demum fociles amorem,
Candida, vitae! ⊗

Sole iam primos radios pusillo
Denuo fundente mihi vaganti
Pulchra riparum loca murmuranti
Feta lapillo

Nunc pedes algu mihi pituitae
Imbuit caespes, aderuntque bello
Dulciter mulcente noto novello
Lumina vitae:

Tu statim prodis radiante vultu
Casta divarum celebrata Doris:
Qualis es qualisque places leporis,
Candida, cultu!

Ut mihi mos est, doleo dolore
Perditus: fugit mea nympha, fugit!
Turbido mentem mihi flamma sugit
Taetra furore.

Sic mihi saltem teneros serena,
Tempus, affectus: lepidam figuram
Cordibus pangas miseris daturam
Lugia plena! ⊗

Luce nova fundi meroque cantu,
Inde dulce nova vita renasci
Fertiles cantare sonos serenae
Subditus arti –

Qualis erat dudum mihi voluptas
Et desiderium labante corde.
«Nunc eris» dixi «mea vita casta
Praedita veste!»

Nescius et dari fuit tenebris
Sors mihi misero – sed quale numen
Indidit mox inde misellularum
Carmina vocum

Fulminis attacto dolore cordi:
Tempestas oritur, flant, flant procellae,
Dissipant leges – ut ali iuvabat
Ordine rupto!

Tempore placabantur helluantis
Turbines animae; pudor pudice
Antea peiorque procella deinde,
Cedite tandem!

Luce nova fundor meroque cantu,
Inde dulce nova vita renascor
Fertiles cantare sonos serenae
Artis alumnus. ⊗

Quam simul inductae tremunt tenebrae,
Et nives leviter saltant caducae!
Mox lacus vestire vides et agros
Candida vela.

Grandinibus canis solent procellae
Advolare tamen rupta quiete,
Et sub impulsu furiositatis
Palpitat aër.

Accidat hoc extra furantque venti!
At crepante domi placer camino
Et beer somno recreante membra
Fessa labore. ⊗

Tempus serenum me iubet egredi,
Silvas et undas ut bene conditas
In mentis arcanis revisam:
Laetus eo comitante nullo.

Invitat illic trabs nemoris decus
Ornata pulchra fronde – reverberat
Sublimis aestatis calorem.
Tegmine tectus, amictus umbra

Desiderabo mox dare canticum:
Succede menti lumine prospero
Iamiamque flammarum potire,
Candida, fer mihi dulce donum!

Ah, Musa, tandem sollicito venis;
Tibicini nunc, suaviter ut soles,
Infundis exspectata dudum
Carmina clarisonumque munus. ⊗

Descende caelo, Musa, veni mihi:
Sana poëtam, qui miser in toro
Flaccet nec ullarum iuvatur
Deliciis et hebet vigore.

Succurre tandem neve neges mihi
Tam dulce donum! Nectare, deprecor,
Mutes odoro res acerbas,
Ambrosiaque fruar süavi. ⊗

Dormire tantum quam cupio precans:
Accede, Morpheu, sparge meum caput
Lethe soporanti, quod almo
Munere lumen eget misellum!

Sermone tali Somnus identidem,
Dum versor amens nec bene tempero
Hac parte, nunc illa cubilis
A lacrimis gemituque iusto,

Ne nos repellat neve domum meam
Contemnat, eheu, cum prece languidis
Aegre labellis effluenti
Pellicitur, tamen ore puro.

Quali solutus denique numini?
Nunc ipse venit? Venit et adiuvat:
Et somniis sensus vacillant,
Et deus addit amoma menti. ⊗

Thomas salutem dicit amiculo.
Carmen pusillum suscipe confitens
Non posse memet munus almum
Pollicitum dare dona danda.

Nam delicatae subiugor indoli
Harpa volanti praeditus et vaga.
Quamquam voluntas est et urget,
Nunc mea Musa tacere debet.

Praesentia non, ut solet, osculum
Nec spiritu dat fulmina languido;
Versus cupitos non habebo
Mittere; da veniam valeque! ⊗

Tranquilla Clio, sparge, precor, meae
Menti tuorum balsama carminum
Vocesque Musarum canoras
Adde mihi simul helluanti.

Infunde tandem, care mihi sopor,
Cum canticorum blanditiis satur
Consternor in lecto reclinis,
Paupera membra quiete leni.

Heu! nonne sensi? Iamque remissio
Subducit aegrum denique nerviis,
Pictisque perspergor figuris:
Languida fit ratio subinde. ⊗

Heu! tanta legi iam tenuis puer,
Mentique valde carmina sedulae
Favere, cum fudere cara
Balsama dulcisono sonore.

Ast inde vates ipse per asperum
Trans astra caelum tangere credidi.
Sed quanta me perferre fecit
Anxius iste labor canendi!

Trans astra! somnus tunc fuit ultimus –
Nunc, nunc abibo rursus in alteram,
Quam paenitet fugisse, terram;
Carminibus procul inde vivam! ⊗

Feles nomine Fuzzi masculine,
Carae deliciae mihi cupitae
Necnon pectoris intimi voluptas!
Hem! quantis oculis pererror helvis,
Qualis nigra vibrat meras smaragdos
Caelo pupula pulsa clariore.
Dulcis barba sub umido redundat
Naso, comptaque pellis ac capilli,
Pollent auriculae volubiles et
Lingua squalida, dentis os acuti.
Palpanti tenere statim videris
Toto corpore, delicate, summo
Luxu, qui tribui potest, beatus.
Qualis mi fuit inde lis habendi,
Qualis cum patre rixa, qualis angor,
Ne non acciperem; sed alma mater
Fautrix atque periculi paterni
Spes est ultima fida, si quid opto.
Sic forti prece matris adiuvantis
Mentem tam rigidi movere possum.
Laetus percipio pisinna dona,
Te parvo calatho novum repostum,
Nutritum prius in casis avitis.
Feles dulcis, ut atrium peragras
Attemptante manu, tremente nare,
Quam ridet pater et sinu recondit!
Gratamur tibi, Fuzzi: totus ille
(Detrectans prius) incitatione
Formae suavis et elegantiae nunc
Quam te captus amat fovetque bellum. ⊗

Valde litterulis tuis levabar,
Ut vatem lepidum necesse puris
Formis ac modulis studere memet;
Vere carmina maxime, sodalis,
Quae misi, tibi gaudeo placere.
Parcas versibus hisce non politis,
Cum semper labor imminere multus
Distracto soleat mihi poëtae,
Et tempus fugiat negotiosum.
At tandem celeri tibi volatu
Haec annuntiet inde me valere
Ac valde studiis datum papyrus,
Ut mi te tua charta dixit esse
Attentum – sed imaginare contra:
Non fas esset in uvido sedere
Ruris caespite solis et recentis
Mansuetis radiis subinde tangi,
Clementer zephyri tepentis aura
Mulceri faciem vagosque crines
Aestivisque coloribus beari?
Concinnis fidibus merum poëma
Cantavisse modo tenelliore
Non nobis placeat? Vale valeque! ⊗

Lector, Notitias Austriacas probe
Mireris reputans iugiter editas.
Mutata est facies et titulus prior,
Ut chartae celebri nomine crescerent.
Nunc adsis, numerum conspice iubilaei
Et, quas res cupias cumque perambulans
Commentariolos, pellege; deinde dic:
«Haec in perpetuum chartula floreat!» ⊗

Veni, precamur, ver tandemque pelle
Novae pruinam lucis cum vigore,
Sudique sol poli, mero calore,
Pia vocate lingua, fulge belle!

Et basio miti cita tenelle
Quieta prata silvas et colore
Adhuc egentes, alitesque more
Cantate dulci, pipians popelle!

Nunc nunc ades, desiderata Musa
A vate morsu laeso pertinaci!
Sic integra confirma caritate

Et gaudiis risuque corda fusa:
Ah! mente rursum cantabo sagaci
Tua refectus, alma, claritate. ⊗

Dolens pruinosis dispalor arvis
Et spiritu considero remisso.
Vepallidis vexatus triste larvis
Contemplor illos agros ore fisso.

Aurora verberi mansueta cedit
Maiorque sol rosariam profanat
Telis severis – ecce, dulce sedit
Vultu meo ventus stillasque sanat.

Ignotus inde sensus corde caeso
Potitur, ilicet nequam cupido
Inerme tangit – heu! decore laeso
Quae, cara, fies? I foras, libido!

Deliberanti maesta mens tremescit,
Ah! vita quando rursus enitescit? ⊗